DE INEFFABILI
TRINITATIS
MYSTERIO
ORATIO
Habita in Sacello Pontificio


AD SANCTISSIMUM D. N.

BENEDICTUM XIV.
PONT. MAX.



A

D. HIERONYMO MONCADA COMITE
SANCTI PETRI, EX PRINCIPIBUS MONFORT
Colleggii Clementini Convictore.



ROMÆ, MDCCLI. TYPIS CHRACAS IN VIA CURSUS.

SUPERIORUM PERMISSU.

Sanctissimo Domino Nostro

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO

HIERONYMUS MONCADA

FELICITATEM.




UM valetudinis tuæ ratio BEATISSIME PATER, *in qua totius Christiani Orbis salus magnopere posita est, postulave-*

rit, ut gravissimis, continuisque curis distentum animum si non omnino solveres, id enim vigilans tua in servandis Christi ovibus sollicitudo sinere nullo modo potest, aliquanto saltem recreares, factum est, ut, dum Orationem hanc meam haberem eo in loco, quo frequens divinis rebus adesse consuevisti, Te præsentem venerari, sacrosque pedes deosculari non licuerit. Quæ quidem absentia, licet pro salutis Tuæ communi desiderio cuique bono jucunda esse debeat, dolebam tamen tacitus sortem meam, quæ me ad ea tempora reservasset, quibus aspectus tui luce carere necesse esset. Quid enim optabilius, quid dignius, quid honorificentius, quam eum Pontificem Maximum præsentem intueri, in quo humanitas, & benignitas summa pari

cum auctoritate, & sapientia sunt conjunctæ. Neque verò hoc loco commemorabo ea, quæ crebris jam sunt usurpata omnium hominum libris, atque sermonibus, doctrinam tuam illam admirandam cum incredibili eruditione, atque perspicuitate conjunctam, quam diuturnis elucubrationibus tantam adeptus es, ut jam non parta, sed nata Tecum videatur; non egregia illius monumenta, Legesque sanctissimas, quas in commune Ecclesiæ beneficium edidisti, atque contulisti: illud unum dicam duntaxat, quo omnia me dicere arbitrabor, virtutem tuam non magis debere Dignitati, in qua splendidius locata est, quam Dignitas virtuti. Quare, quam honorem dicenti mihi ratio temporis abstulit, supplici impertiatur Clementia Tua, ut postquam ea, qua

 semper

ſemper ſoles facilitate, hanc, quam Tibi devovere haud reformido Oratiunculam, exceperis, pedes tuos me deoſculantem Benedictione tua compleas.



ORA-



ORATIO.



UM ex vetere instituto, Beatissime Pater in hoc loco Pontificis Summi consuetudine sanctissimo, praesentiaque vestra honorificentissimo, aliquid mihi sit hodie de Sanctissimo Trinitatis Mysterio dicendum, de quo pluries hoc ipso in loco est disputatum; nulla mihi aptior restare visa est Oratio, quam si commemorarem, quantum praeclara, gloriosaque nobis sit tanti Sacramenti cre-

Deut: 4. ti credita revelatio. Quæ enim unquam extitit Natio tam grandis, aut futura eſt, quæ Deos habeat per agnitionem ita appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis per eam, quæ de TRINITATE eſt, fidem, qua Duce e tenebris, & umbra mortis evocati ad Lumen illud inacceſſibile, in quo Deus inhabitat, quantum homini licet, cognoſcendum, intuendumque ſingulari illius Charitate Populos inter omnes electi, atque evecti ſumus? Plurimi eo lumine, quod ex natura eſt Deum Unum, inani illa, prodigioſaque rejecta Gentium multitudine, exiſtere opportere intellexerunt, multi de Illius proprietatibus, perfectionibuſque graviter, acuteque diſputarunt, nonnulli etiam plura ex ijs, qua de Deo etiam per Fidem nos credimus videntur ita attigiſſe, ut nobiſcum ferme conſenſerint; de TRINITATE vero aut nemo, aut certe leviſſime ſuſpicatus eſt. Quare ex ea, quæ inde proficiſcitur gloria, nullam na-

turæ

turæ lumen, nullam intellectus sagacitas, nullam humanæ sapientiæ prudentia partem sibi vindicat; sed tota ea, quantacumque est, quæ certe maxima est, tota, inquam, Sapientiæ illi tribuenda est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, & quæ vere, singulariterque sapientia nostra est, & intellectus noster coram populis, ut audientes universa præcepta hæc dicant: en populus sapiens, & intelligens magna. Sed quid cum hac sapientia nostra inanem gentium scientiam confero, quæ ambulantes in vanitate sensus sui tenebris obscuratum habebant intellectum propter ignorantiam, quæ erat in illis propter coecitatem cordis ipsorum? Ille ipse Populus, quem Deus funiculum hæreditatis suæ Nationes inter omnes esse voluerat in tantæ gloriæ societatem se non offert, nobis cedit, nostram esse totam, & propriam fatetur; quin etiam maximi illi Synagogæ Patres, Vatesque

Cor: 2.
Deut: 4.
Ephes:

San-

Sanctissimi nobis in hac laude concedunt. Ea enim, quæ ad ipsos tanti Mysterij facta est revelatio, in speculo veluti, atque in ænigmate facta est, non eo in lumine, atque claritate, qua apud nos, constituta. Quod si gloriosum illis fuit TRINITATIS Mysterium per species duntaxat, imaginesque intueri, quanta ea laus nostra, quanta dignitas, illud ipsum, ambage omni remota Symbolorum, palam, aperteque Fidei nostræ esse concreditum, quodque absconditum fuit a sæculis, nunc manifestatum esse nobis a Deo, ut consoletur corda nostra instructa in charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectus, & in agnitionem Dei Patris, & Christi Jesu? Sacramentorum enim Dei revelatio eo semper loco habita est, ut eo dignior, Deoque acceptior quisque crederetur, quo penitius in altitudinem mysteriorum sapientiæ, & scientiæ Dei, perque incomprehensibilia judicia ejus, viasque investigabiles

Col: 2.

biles

biles Deo ipſo ducente penetraſſet. Hinc cæteros omnes facile Moyſes hoc genere gloriæ ſuperaſſe ab univerſa Hæbreorum gente judicatus eſt, quod ad illam flammam acceſſerit propius, in qua Deus loquebatur, quod illius vocem audierit, quod legem acceperit, quod coeremonias ritusque ſacros ab ipſo Deo didicerit. Quod ſi miniſtratio mortis fuit illi in gloriam; quomodo non magis erit nobis in gloria Spiritus miniſtratio, Spiritus inquam Domini qui myſteria loquitur, qui majeſtatem, naturamque ſummæ illius eſſentiæ ea ratione per fidem manifeſtavit; ut revelata propemodum facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem trasformaremur a Claritate in Claritatem? Quare hac die TRINITATIS Auguſtiſſimæ celebritati conſecrata non illius magis Feſtum, quam Fidei, gloriæque noſtræ triumphum agere videmur, atque hoc loco potiſſimum explicare, quo imaginem *Cor: 2. 3.*
quan-

quandam, ſpeciemque perfectionum, quæ Perſonarum TRINITATI tribuuntur; ſummis in Pontificibus ſolemus intueri, quorum ea eſt poteſtatis amplitudo, ut ſuper Gentes, & ſuper Regna ad plantandum, evellendumve, ædificandum, aut diſſipandum potentiæ divinæ plenitudine ſint conſtituti; ea ſapientia, ut fallendi ſint, ubi ex cathedra definierint, neſcij, ea auctoritas, ut ligandi, ſolvendique peccata arbitri ſint deſſignati; triplexque Diadema illud thiara una ſuffultum ſimulacrum veluti triplicis in divina eſſentia Regni preſeferre videatur. Illud jam reſtat, ut, cum in cognitione TRINITATIS tanta noſtra ſit laus, cogitemus; quanta demum in comprehenſione futura ſit gloria; cum non per fidem, ſed facie ad faciem, & ſicuti eſt, eam cognoſcemus.



FINIS.